

**05**

**A**

**278**





QUOD RECTE VERTAT!

*Examen Philologicum Questionis*

De lingua Hebrææ

ambiguitate

JACOBO GORDONO

HUNTLEO JESUITÆ

oppositum

ET

*In Illustri VVittenbergensium Academia,*

SENATUS PHILOSOPHICI

*auctoritate*

PRO LOCO

In eo Collegio benevolè sibi concesso,

publicè ad disputandum propositum

PER

M. JOHANNEM REINECCIUM

Haibertadensem, Facult. Philo (Adjunctum:

RESPONDENTE

M. MARTINO Genern Lips. S S. Th. Stud.

*In auditorio majori ad d. 19. Martii horis à septimâ*

*matutinis*

---

WITTENBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXXV.

De lingua Hebraea

JACOBO GORDONO



872 A 50

M. JOHANNEM REINECCIUM

L. O. ...





בהניא

I.



Crispit Jacobus Gordonus  
Huntlaus, societatis Jesu Doctor  
Theologus, ad Paulum Quintum Pon-  
tificem, controversiarum Theologi-  
carum epitomen. In ejus aliquâ par-  
te textum Hebræum, quem hodiè in  
Bibliis habemus, ambiguum atque incertum esse di-  
sputat, ita quidem, ut ex se certam hominibus fidem  
præstare non possit.

II.

Quam ipsam ejus sententiam cum non leviter in-  
veritatem pugnare putemus, ac multis modis linguæ  
præcellentissimæ atque sanctissimæ, quâ ipse antiqui-  
tus summus Deus ad homines locutus fuit, contume-  
liosa sit, non abs re nos facturos existimavimus, si eam  
examinare, & quid octo illis rationibus, quibus usus  
est Huntlaus, in solidum debeatur, ostendere in præ-  
senti institueremus.

III.

Neque enim aut probandi thesin nostram hic  
partes nobis modò sumimus, aut altius nos huic pe-  
lago committimus, ut quæ hîc disputari cunque pos-  
sunt ac ventilari, cum iis nobis pugnam deposcamus,  
eaque in medium velimus adferre omnia. Sunt  
certè non pauca, de quibus Theologorum  
proprium est præcipere. Qualis illa ab Hieronymo,

A 2

disertis-

disertissimo Patre, in ipso operis initio huic causæ mutuata auctoritas. Revolvant viri ejus commentarios, qui volent, & obnoxii esse nolint, ac deprehendent, quâ fide in hoc Huntlæus versatus fuerit. Sed hoc genus nemo hic à nobis expectaverit. Saltem quæ ipsam linguam artingunt, & ex intimo ejus ingenio petiisse se dicit Jesuita, ea Deo benè juvante, quo Duce, omnis nobis disputatio explicanda est, pro nostra nunc virili differemus.

#### IV.

Hoc est ergo quod quæritur, & in quo punctum controversiæ positum est. *An textus Hebraus suæ præ naturâ sit ambiguus, ita ut ad certam hominibus fidem faciendam de se non sufficiat.* Id ita esse, ostendet nobis suis ipse Huntlæus verbis, quæ sic habent.

#### V.

*Sancta hæc lingua ita DIVINITUS constituta est ut vel SOLA ejus NATURA evidenter convincat, verbum scriptum minime sufficere ad CERTAM FIDEM scripturis eliciendam. Et: adeo est ambigua lingua ista, ut nulla sit ferè sententia, quæ non possit in diversos, imò etiam contrarios sensus verti. Et: Hujus rei plures sunt causa, quæ OMNES EX IPSA NATURA Hebraica lingue desumuntur.*

Controvers.  
1. de verbo  
Dei c. 7.

#### VI.

Satis est: videamus has causas, & quæ sint res illæ, quibus Huntlæus suam se mentem probare posse putet.

#### VII.

*Prima causa est, inquit, multiplex significatio omnium ferè vocum, tum verborum, tum nominum, tum dictionum.*

num. Nulla est enim radix, nulla dictio, nulla littera significans apud Hebraeos, quae non habeat diversas significatio- res: ut sciunt omnes, qui linguam Hebraeam vel modicè de- gustarunt. Hinc multiplicia & ingentia illa Lexica & dis- ctionaria radicum Hebraicarum. Atq; ut unum hujus rei afferamus exemplum: unica littera Vau omnia hæc signifi- cat: & : quin: vel: neque: super: quanto magis: ad: in: cum: nunquid: si: antequam: postquam: nunc: quando: sic: jēd: quamvis: ut: ne forte: Adhuc Huntlæus.

IIX.

Necesse verò video ante, quam vel ad hujus cau- sã, vel reliquarum etiam confutationem veniam, ro- gare benignum lectorem, ut ignoscere nobis velit, si res parvas interdum minutasque, & hominibus benè eruditis propemodum aspernabiles adduci hîc videat. Res ita flagitat, cogitque invitos, ut non semel ad talia nos demittamus: neque hæc parvum ad emolendum hoc totum negotium pondus habebunt. Quare ad rem ipsam rectè jam quidem progrediamur.

IX.

Non unum autem est, quod in adductã ratione, Huntlæi desideremus. Nam primò, si hic discursus sibi constat: verba hæc lingua habet ambigua, ambiguas voces: Ergo ipsa ambigua est, neque se lectori expli- care satis potest: ut opinio mea fert, omnem desubitò humanam societatem, quæ linguæ hæcenus vinculo tenetur, tollamus è medio & facessere jubeamus. Nam, an quæ est gens aut natio, quæ non multiplicem in sua linguâ agnoscat significationem vocum, ver- borum, nominum, dictionum? Quæ si cum nobis ex- cludent foetum, quem dicit Huntlæus, hoc est, incer- titudinem atque ambiguitatem, quid adinvicem lo-

quimur, aut scribimus, neuter neutrum intellectu-  
rus?

X.

Gell. l. 10. c.  
29.

Inspiciamus in linguam latinam, ut perinfimæ hu-  
jus collectionis experimentum fiat. Atq̄, particula, a  
grammaticis quidem *conjunctio* dicitur *connexiva*, &  
plerumque sanè conjungit verba & connectit. Sed  
interdum etiam alias quasdam potestates habet. Nam  
& pro *adverbio* valet, &, gemina si fiat, *auget intenditq̄*  
*rem*, de qua agitur. At verò num propterea difficile  
judicare fuerit, quid in quoque loco notet, cum dico:  
*aliter ego feci, atq̄ tu*: significat enim *aliter quam tu*.  
Et: *atq̄ atq̄ accedit muros Romana juventus*. Quo ver-  
su Ennius studiū atque intentionem indicare voluit.  
Et præterea pro alio quoque *adverbio* dicitur, id  
est *statim*. Quod in his virgilij verbis existimatur.

— *qui aduerso vix flumine lembum*  
*Remigiis subigit, si brachia fortè remisit,*  
*Atq̄ illum in præceps pronò rapit alveus amni.*  
Et in illo:

Eccel. 7. v.  
6. 7.

*Huc mihi dum teneros defendo à frigore myrtos*  
*Vir regis ipse caper deerreuerat: Atque ego Daphniam*  
*aspicio —*

XI.

Gell. l. 11. c. 3.

Demus aliud item exemplum: particulae *pro* in o-  
ratione latina non una est varietas. Aliter enim dici  
videmus: *Pontifices pro collegio decreverunt*: aliter, *quis-*  
*piam testi introductus pro testimonio dixit*: aliter, *præ-*  
*lium factum, depugnatumq̄ pro castris*: aliter *urbes insus-*  
*leḡ omnes pro agro Illyrico sunt*: aliter, *pro tribunali*: ali-  
*ter, pro concione*: atque aliter, *Tribunus plebis pro potes-*  
*state intercessit*. Quod si verò diversa significatio hinc nō  
impedit, quo minus verum certumque videamus, quæ  
causa est, cur in Ebræa lingua idem fieri negare veli-  
mus?



mus? Alia ejusmodi ubi vis se in bonorum auctorum monumentis ingerunt. Quare, haec cumulare super sedemus. Atque sunt haec, opinor, tam manifesta, omnia linguæ perito, ut dubitem possitne manifestius aliud dici. Ipsam adeò primam latinorum litteram, A, totum in ruborem dare Huntlaum necessum est, si in vicem suæ literæ Vau eam recognoscere voluerit.

## XII.

Deinde: ipsa Logica omnem hanc dubitationem nobis eximit. In qua si præ nobis regnum tenet Huntlaeus ac socij ejus, ut volunt videri, quid est, quod non recordatus fuit, canonis illius pervulgati, & quem in ludo puerili parietes & scamna propè sciunt; incertitudinem omnem contextu tolli, & restringi vocibus adjectis, quæ ante ambigua videbantur? Id enim ei si in mente fuisset, non facile erat huc ipsum erroris prolabi.

## XIII.

Porro: hæc duo miror, quamobrem conscripserit. Primò: *multiplex est significatio omnium FERÆ vocum: Et; NULLA est radix, nulla dictio, quæ non habeat diversas significaciones.* Quæ profectò, quod ille ait, secum stabulare non possunt. Nam si sunt voces, quæ non multis, sed unâ significatione gaudent, ut sunt sanè, Quid de omnibus id affirmavit? Sin hoc autem? at iniquum est inde aliquid sevocare eum atq; excipere, ubi nulli limitationi loco esse potest. Quare de his quidem ipse viderit. Propemodum autem subolet, id quod res est, opinioni præceptæ, quam veritati eum istuduisse, ubi in duabus etiam lienis alucinari, & mirum non est, & sæpè accidit.

## XIV.

Denique: De Lexicis diceremus, si id ad rem aliquid attine-

attinēret. Nunc cum nihil causam juvet, etsi præter rem fortè nonnunquam significata ibi multiplicentur, neque nos hîc operam frustra nostram occupari partemur.

### XV.

Pergimus ad causam secundam, quæ est, inquit Huntlæus, quod plurima sint verba apud Ebraeos, quæ in diversis conjugationibus habent contrarias omnino significaciones. v. c. נבט in prima conj. significat desiderare, appetere. At in secunda conjugatione significat abominari, detestari. וטט in 1. conjugat. significat radicare seu radicem ponere, in Piel significat eradicare seu radicem evellere, נטט in primâ conjugatione significat peccare, in Piel significat expiare seu mundare à peccato. Sunt & alia plurima ejusmodi.

### XVI.

Bene est, Huntlæe: plurima verba in distinctis conjugationibus habent distinctas significaciones: ergo constat quæ cujusque significatio sit, neque hîc pro libitu miscere ac transfundere significata licebit? Quod si inde fortè tuo argumento robur petis, quod puncta consonis suis coæva non sint, atque sic discerni conjugationes non possint: vel sic tamen parum obtinebitur. Nam si demus verum illud esse (quod in præsentî disputare instituti nostri non est, & contra habet) an ut illis in locis, ubi contextus & omnes circumstantiæ destructionem: aut peccatum: aut abominationem loquentur, (quæ voces ad probandum adductæ sunt) nos contra sentire, ac vel plantationem, vel expiationem à peccato, & desiderium interpretari velimus? Quocirca id quidem vanum effugium est.

Neque

## XVII.

Neque verò desunt exempla, (quod secundo loco ad r. a reponimus) ubi non phrasis semper sed quæ antecedunt, & sequuntur plenum sensum faciunt, eumque determinant. Quale ex Darte Phrygio huc apponere non alienum fuerit. Est autem istud: *Antenor dicit ea quæ à Priamo mandata erant, Gratos postulare, ut Hecuba redderetur.* Ubi quantum ad ipsam phrasin, is sensus esse possit. Priamum à Gratis postulare, ut Hecuba reddere velint. Et; Gratos id à Priamo petere. At verò qui historiam consulat, non ambiget, quid indubitatò hic sumi oporteat. Usque adeò clara res est, & tenebras sibi offundi non patitur. Ut quid autem in Hebræo secus esse dicemus? Ubi idem videre in proclivi est. Aut sicubi hæreamus, quod inscitix nostræ est, id in ipsam linguam, & contrarias diversarum conjugationum significationes transferre, minus sanè conveniet.

## XVIII.

Tacco, quod si omnia hinc alia rectè se habeant, tamen in eo error non parvus versetur, quod à particulari collectio instituat. Quod concludendi genus ineptum sanè est, & à Jesuita expectari vix debebat.

## XIX.

Audiamus tertiam jam causam, quam his nobis verbis Huntlæus dedit. *Quia sunt, inquit, non pauca verba, quæ in eadem conjugatione, eodemque modo scripta habent contrarias omnino significationes, quæ proinde multis in locis discerni, aut saltem dignosci non queunt v. g. בָּרַךְ significat benedicere, & maledicere אָבַד significat thesaurizare & depauperare אָבַד significat accedere & recedere שָׁפַט significat sanctificare & profanare. Item mundum & immundum*

B

mundum

mundum reddere. ככר significat cognoscere, & incognitum  
 esse ענן significat consolationem seu gaudium accipere:  
 & rursus accipere desolationem, tristitiam, & pœ-  
 nitentiam. כצו significat servare & destruere. ערן signi-  
 ficat operari seu arare & cessare ab opere. Denique כשׁו significat  
 convertere & avertere. Item revertere & recedere.  
 Sic & nomina eodem modo scripta contrarias habent signi-  
 ficationes. v. g. חטון significat peccatum, & Sacrificium quo  
 aufertur peccatum רחם significat misericordiam & immise-  
 ricordiam seu crudelitatem, execrationem & rem nefariam.  
 Sunt & alia complura similia. XX.

Est hæc ratio, qua sibi in cœlo videntur esse ponti-  
 ficij, & quam totos dies magno conatu in scholis suis  
 eos inculcare verisimile est, ut præmuniatur ju-  
 ventus ne huic tam ambiguae linguæ aliquando fidem  
 habeat. At nos si totum illud largiamur, parum peri-  
 culi fuerit, quod inde extimescere quidem habeamus.  
 Quod ex latina lingua, quæ familiarior nobis est,  
 cognoscere nos ne pigeat. Sunt enim & ibi profe-  
 cto vocabula non pauca, quæ in utramque par-  
 tem significatione reciproca & adversa dicuntur.

XXI.

Gell. 1. 16. c. 5. *Obesi* verbum, totidem literis & syllabis, contraria di-  
 cit, propriè magis, quam usitatè *exilem* atque *gracilen-  
 tum*, impropiè verò, & per antiphrasin, *pinguem* ac *ube-  
 rem*. An autem propterea obscurum quid velit Næ-  
 vius Alcesti suâ? cum inquit:

*Corpore pectoreq; undiq; obeso  
 ac mente exsensa, tardigemulo senio oppressum.*

Quid virgilio contra?

3. Georg. *Argutumq; caput brevis alvus obesaq; terga.*

XXII.

*Intus*, adverbium est, de loco, & ad locum significans,  
 Judi-

Judicemus autem, hæ locutiones sint ne ambigua, an non sint propterea, cum dico:

\_\_\_\_\_ ecce autem  
quem convenire maximè cupiebam, egreditur intus.

Et: \_\_\_\_\_ eccum exit foras

Chalinus intus cum sitella & sortibus.

Et: aliquantò lubentius quam abs te sum egressus intus.

Et: quin tu fidicinam produci intus jubes.

Et: dic me orare, ut aliquis intus prodeat properè ocius.

Et: Tbeffala intus pateram proferto foràs.

Et: argentum jubebo intus efferi foràs.

### XXIII.

Sequitur hanc rationem & de particula, quæ verbis addita nunc remittit eadem, nunc auget etiam. Sic, *desavio* & *valde savio* est, & *desino savire*. Hæremus de sensu autem, cum Columella inquit: *Patere unum diem noctemq; deseviant*. Et Tranquillus: *virorumq; ac foeminarum ad stipem deligatorum inguina invaderet, & cum offatim deseviisset, conficeretur à Dorophyro liberto*. Neq; obscuro, quid Hieronymus velit, cum *latrantes canes* dixit, qui *adversum se rabido ore desevirent*.

Contra, & hoc Luciani apertum est:

\_\_\_\_\_ *Nec, dum deseviit ira*

*Expectat* \_\_\_\_\_

Et Virgilii: *dum pelago desavit byems,*

### XXIV.

Transeo verba illa, quæ in eadem conjugatione & agendi & patiendi significationem habent. Cujus generis sunt ista: *tempestas sedavit*, pro, *sedata* est, quod apud Velleium in Annalib. extat. Et, *Eo res eorum auxit*, pro, *aucta* est, quo M. Cato in originibus usus. Et, *in priore verbo graves prosodia, quæ fuerunt, manent, reliquæ*

B 2

mutant,

Persa. 2. 4.

u't.

Casin. 2. 5. 42.

Epid. 3. 2. po-

nu

ib. 3. 4. 45.

Cistell. 3. v. 8.

Amph. 2. 2.

138.

Bacchidibus.

Gell. 1. 2. 6. 2.

in Neron. c. 29.

prol. libr. reg.

*mutant, pro, mutantur, quod Varronis dictum, in libris, quos ad Marcellum de lingua Latina fecit. Et, prorsus avertit; insinuat pavor: agglomerant; turbant: venti ponunt nox humida caelo precipitat: quæ Maroni usurpata. Et ista Marco Accio, tempestas sedet: rugat pallium: ira leniunt.*

## XXV.

Gell. l. 12. c. 9.

Jam, hæ quoq; etiam voces mediæ sunt & communes, quæ significare & capessere duas inrer se res contrarias possunt: *tempestas: valetudo: facinus: dolus: gratia: industria: elegans* & alia. Quare cum hæc & talia non officiant, quo minus certum videamus, i jam Huntlæe, & porrò clama, non pauca verba eodem modo scripta, in unâ eademq; conjugatione habent contrariam significationem: non possunt discerni: ambigua lingua est.

## XXVI.

Sed age ex Hebræo quædam etiam carpamus.

1. Reg. 21. 10.

Igitur alicubi hæc sunt scripta. *Statuite duos viros Be-liaal adversus eum, qui testificentur contra eum dicendo בְּרַכְתָּ אֱלֹהִים וּמֶלֶךְ benedixisti, Deo & Regi. Postea edu-te eum atq; lapidate eum, ut moriatur.* Et, alio in loco

Num 23. 11.

ista. *Dixit Balak ad Bileam, quid fecisti mihi? Ut maledice-res inimicis meis tulite, & ecce. בְּרַכְתָּ בְּרַכְתָּ benedicendo bene-dixisti.* Ubi quæ suo quoq; loco vocis בְּרַךְ sit significa-tio nemini potest esse obscurum. Sic: cum Dominus

Levit. 4. 3.

Mosi præcipit: *Si Sacerdos unctus peccaverit in reatum populi, tum offeret עֲלֵה חַטָּאתוֹ pro peccato suo quod peccavit, juven cum vitulum immaculatam Jebone חַטָּאת in sacrifici-um pro peccato. omnes opinor vident, vocem, חַטָּאת pro-priè semel, pro peccato, semel metonymicè pro hostia poni, ut ambiguus incertusque dimit-ti lector non possit.* Quæ ipsa vim argumenti,

puto

puto, elidunt hætenus exponuntq; Ac progredere-  
mur sine morâ ad quartam porrò causam, nisi teneret  
nos Huntlæus in aliis etiam, quæ hic peccavit. Quæ  
item ostendere, alienum non fuerit. Sed paucis.

XXVII.

Verbum  $\text{שׁוֹפֵר}$  quo in codice, quo ve loco, in unâ  
ac eâdem conjugatione, de pauperandi & thesauri-  
zandi notione, cedo, ubi legisti Huntlæe? Facilius fue-  
rit locustam lucam bovem parere, quam hoc nobis  
monstraveris. Adeò nullum exemplar, nullusve locus  
extat, ubi illud sit reperire.

XXVIII.

Hæ autem voces  $\text{שׁוֹפֵר}$  &  $\text{שׁוֹפֵר}$  cum diversa signifi-  
cant, diversâ quoq; constructione gaudent, qua signi-  
ficatio discernitur. Ut enim cum dicunt latini, *vere-*  
*or te, & vereor abs te: utor te, &, utor abs te: hortor te, &*  
*hortor abs te: consolor te, & consolor abs te* (de quibus  
verbis A. Gellius in foetura sua Attica, quâ, ut inquit  
magnus Erasmus, nihil potest fieri neq; tersius, ne-  
que cruditius, explicavit) omnis constructione tol-  
litur ambiguitas neq; ulli ibi mortalium pro libitu si-  
gnificata mutare integrum est: ita in Hebræo quoque  
adjectæ variæ particulæ lectorem juvant, ut in viden-  
do vero harum vocum significatu errare non possit.  
Quas si abesse contingat alicubi, ac jam his admini-  
culis destituamur, ipse nos textus rectâ viâ ducet, &  
certam veramq; vocis significationem suppeditabit.  
Quod in uno exemplo experiamur. In Exodo dicit  
Moses:  $\text{אֶסְרָה-נָא אֶת-בְּנֵי-יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר-עָבְדוּ אֱלֹהִים אֲחֵרִים}$  *accedam nunc & videbo visionem banc*  
*magnam, cur non comburatur rubus. Videns autem Jebova*  
*quod accederet ad videndum, vocavit eum Deus de*  
*medio rubi.* Contra, David cum de genere humano

l. 12. c. 13.

c. 3. 34.

B 3 loqui-

*Psal. 14 3.*

*1. Sam. 15. 32.*

loquitur, alicubi sic pronunciat סר חבל *omnes recesserunt, pariter foetuerunt, non est faciens bonum, non est etiam unus.* Agagus quoque jam morti imminens, hanc vocem emisit. סר מר המות *verè recedit amaritudo mortis.* Ubi quis est, qui dicere audeat, verbum סר ambiguum adhuc, & utroq; versum, prout cujusvis animus sit, explicari posse?

XXIX.

In verbo שרר verò vehementer impegit Jesuita, Ita enim colligo:

Quodcunque verbum cum diversa significat, diversa perpetuo puncta habet, id ambiguum perito lectori esse non potest:

sed verbum שרר cum silere, cum arare, notat, diversa perpetuò habet puncta.

E. perito lectori ambiguum esse non potest.

Subsumptum exemplorum inductio evincit: quæ omnia in futuro 2do ( in quo solo tempore diversa significatio occurrit) silendi notatione cum ( ∴ ) sub altera verò cum ( - ) scribuntur. Quare in his quidem longius non immoramur: aggredimur quartam Huntlæi causam, quæ his verbis ponitur,

XXX.

*Quarta causa est, quia voce eodem modo potest descendere à diversis radicibus, quæ dissimiles habent significationes v. c. שרר potest descendere à radice שרר quæ significat dormire, vel à radice שרר quæ significat mutare vel commutare. Est enim summa difficultas apud Hebraeos in investigandis veris vocum radicibus.*

XXXI.

Quod si ex se ita comparatam linguam Huntlæus vult,



vult, ut una vox diversas origines agnoscat, nã nos illum haud parvo errore implicitum putamus. Sit enim non multò secus hoc dicere, ac qui disciplinæ aliqujus, de qua ipse gloriatur, principia negare velit. Qui paululum in hanc linguam operæ suæ contulit, eum latere non potest, tertiam masculinam præteriti stirpem derivatis dare, ex qua quæ descendunt singula hoc, & non aliud originis suæ caput sequi possunt. Non potest natalem ad diversos unã parentes referre filius: nec quæ illi ortum vox radici debet, ab ea veluti familia in alienam domum unã immigrabit. At verò si de magistris linguarum ei sermo fuit, inscitè fecit, cum magistrorum culpas in linguam expetere æquum non sit.

### XXXII.

Sed concludamus contra Huntlæum ita:

Quæ vox eodem modo scripta potest descendere à diversis radicibus, quæ dissimiles habent significationes, ea sensum ambiguum efficit. Hæc major adversarii est. Jam subsumo.

At in his dictis: sagittæ pendeabant ab humero: Et: magni pendeabant ejus viri orationem: vox est eodem modo scripta, quæ descendere potest à diversis radicibus, quæ dissimiles habent significationes. Ergò sensum efficit ambiguum. Quam conclusionem annon, obsecro, oppidò ridiculum sit asserere? sed nec aliàs in lingua latina desunt, super quorum origine ibi litigetur.

### XXXIII.

Valgius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit de rebus per epistolam quæ sitis, *lictorem* dicit à *ligando* appellatum esse: quod cum magistratus populi

Gell. l. 12. c. 3.

puli Romani virgis quempiam verberare iussissent, crura ejus & manus ligari vinciriq; à via tore solita sint: isq; qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor sit appellatus. Utiturq; ad eam rem Testimonio Tullii, verbaq; ejus refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio: *Lictor*, inquit, *colliga manus*. Hæc ita Valgius. Sed Tyro Tullius, M. Ciceronis libertus, lictorem à lino vel à licio dictum scripsit. Licio enim transverso, quod linum appellatur, qui magistratibus, inquit, præministrabant, cincti erant.

XXXIV.

Consimiles controversiæ extant aliæ de voce *fe-neratoris*, *testamenti*, *autumo saltem*, & aliis. Quæ huc referre longum foret. Neque ad labefaciendum Huntlæi argumentum iis nobis adductis opus est. Unicum exemplum supra in verbo *pendebant* adductum si nobis eludere potuerit Huntlæus, tempus est ut de aliis etiam cogitemus.

XXXV.

Atq; quod radicem Hebræorum  $\text{נִשְׁנָה}$  attinet, non memini nunc legere, eam dormiendi significatione alicubi venire. Potest ut in eo lapsus Huntlæus sit, quod non advertit,  $\text{נִשְׁנָה}$  cum à Radice  $\text{נִשְׁנָה}$  descendit, & dormire significat, priorem syllabam simplicem habere, hoc modo, *li schnu*: compositam contra, cum à  $\text{נִשְׁנָה}$ , quod mutare est. Planè, ut in voce  $\text{נִשְׁנָה}$ , cum timendi, aut videndi sensum obtinet. De quibus videri Drusius in libro de recta latine linguæ lectione potest.

cap. 7.

XXXVI.

De radicis investigatione, olim huic argumento,

to, apud seculum prius, valor esse potuit, quo, ut ait Lutherus, qui unam Ebræam vocem sonare didicerat, statim putabant se magistros hujus sanctæ linguæ esse. *c. omni. in Ps. 45.* Nunc planè foetet, atq; ad obtinendam hanc causam ejus id afferre est, qui, quo se tueatur, melius non habet.

### XXXVII.

*Quinta causa est maxima similitudo quarundam litterarum: item distinctionum & punctorum, quæ proinde facillimè inter se commutantur, ex quâ commutatione diversi omninò proveniunt sensus. Ut de unico puncto hic ostendemus ךװ quando punctum habet in dextra parte, significat inebriari, seu, ebrium esse: at v. ךװ cum puncto in sinistra parte significat mercari aut mercede conducere.*

### XXXVIII.

Ut compendi operam faciamus, jungamus cum hac causa, sextam etiam. Nam non habet multum, quod à quinta abeat longius. Est autem ista: *Quod litteræ etiam valdè dissimiles, & similiter puncta dissimilia inter se commutantur, ita ut una littera ponatur sæpè loco alterius dissimilis, & unum punctum alterius loco: quæ omnia multum variant sensum.*

### XXXIX.

Litterarum similitudinem quarundam, atq; alternationem, nisi qui in hac linguâ tyro admodum hospesq; sit, nemo inficias iverit. Veruntamen asserere ob id, prudentem linguæ teneri quo minus se expediat, tale est, ut tolerari non possit. Extant etiamnum, opinor, exemplaria, vetustiora in quibus Daleth & Resch, Kaph & Beth eadem perpetuò formâ conspiciuntur, nullibi adhibito discrimine anguli vel acuti,

C

vel ob

vel obtusi. Num dicemus autem viros pios & erudi-  
tos, qui eam olim editionem procurarunt, aliam pro  
alia promiscuè literam legisse? & non illud potius dis-  
crimen, tanquam rem vilem, quam qui linguæ paul-  
lum assuevisset de se videret, aspernatos?

XI.

Quam verò punctorum ac distinctionum simili-  
tudinem putet Huntlæus, unde hoc sequatur, quod  
ipse vult, divinare non possum. Si chirek magnum  
cum absq; suo fulcro scribitur, & cametz tum parvum,  
tum magnum intellexit, aut frequentissimam etiam &  
ubivis obviam illam punctorum alternationem, magis  
est, ut ipse circumspiciat, qui hinc contrarios sensus  
sequi verum efficiat, quam ut nos multum nos deti-  
neamus. Certè quod in litera װ dedit, leve est, ac im-  
positum ubivis punctum significationem dijudicat.  
Absque quo si sit, non erit tamen ex adjectis difficile  
de sensu judicare. Exempli causa, dixit Esaias in libro  
suo: װִי־נִשְׁכָּרִיםװ *inebriantur, sed non vino.* Est, qui hic  
vendendi sensum putet? Contra in illo; *ecce װִי־  
מֵלֶכֶתװ mercede conduxit adversum nos Rex Israelis Reges  
Hitteorum, & reges Ægyptiorum, ut veniant contra nos.*  
est quis tam fungus & mentis expers ut voce װִי־  
hoc loco ebrietatem intelligere velit? Quare hec  
quidem ex pelvi fulgur est, non tale quod montes ac  
maria percutiat, ut inquit Plinius.

e. 29. 9.

XLI.

Quas denique literas dissimiles, punctaque dis-  
similia cum quâdam sensus contrarietate, mutari di-  
cat, si exēpla apposuisset, facilius esset existimari. Credo  
figurarum dissimilitudinem eum indigitare. Quod si  
est, ut ferè in hujusmodi, װִי־נִשְׁכָּרִים, װִי־מֵלֶכֶת, & si-  
mili-

milibus, non est quo superbiat. Nam sintne sphalmata hæc talia, an KERI vel CHETIB, quod vocant, eligendum, attentum lectorem non fugiet. Atque adeò si fugiat interdum, ac sint nodi alicubi, in quibus, veluti in illo Herculis, quod proverbio locum dedit, neque finis, neque principium appareat, tamen à paucis locis quomodo omnem linguam arguemus? Quomodo quod nostrum est, in eam conferre audebimus? Aut, non habet sermo latinus similia? Quorum in ejus linguæ criticis tanta farrago est, ut quis propè miretur. Itaque in Ebræo nemini mirum videri debet, si loca quædam diversimodè enarrentur, ad quam nec animo ac studio eodem omnes, nec eâdem instructi eruditione accedunt.

#### XLII.

Supersunt duæ ultimæ causæ, quas & ipsas brevibus expediemus. Continentur autem his verbis. *Sæpè subaudiuntur & omittuntur non tantum literæ, sed integre dictiones, & sæpè redundant tam literæ quàm integræ dictiones, quarum vel defectus vel redundantia valdè mutat sensum.* Quare evincitur hanc linguam ex se ambiguum incertamq; esse.

#### XLIII.

Nimirum quod elegantia ac venustatis hîc est, datur crimini, & adducitur in accusationem, quod commendare linguam quam maximè, & omnium in eam animos inflammare debebat. Verum est, habet ellipses & pleonasmos, sed sunt ei ista cum aliis communia. Mutetur verò sensus, an non mutetur, paucis in exemplis contemplemur.

#### XLIV.

Latina hæc sunt. *Hunc cine hominem? Hanc cine impu-*

*dentiam? bancine audaciam?* Quod cum ellipsi verbi  
ferendi Cicero in Verrinis dixit. Et Maro:

Eccl. 3.

Cist. 1. 1. 38.

*Novimus & qui te transversa tuentibus birquis.*

Et Comicus: *Viris cum suis predicant nos solere.*

Ubi illud, quod turpitudinem auribus objicere poterat, reticetur. Tacitus quoque in tertio annalium: *quem haud fratris interitu trucem: quam remoto amulo equiorem sibi sperabat.* Quod integrè est: quem haud tam fratris interitu trucem, quam &c. Et illud quoque ejusdem: *ab Narrina, vitanda suspitionis, de vectus auxit vulgi iras:* qui locus vocabuli ergo, defectum habet.

### XXXXV.

Cum redundantanti verò hæc dicuntur, *tene forsem tibi: literisq; item Labieni certior fiebat: non pot per tempus iter mihi incepti: Hisce oculis egomet vidi: Sic ore locuta est: jam dudum et atem: etiam quoq;: post deinde: & similia.* An dicemus autem hinc obsecrum, contrarium, dubium sensum effici? Quod si facere absurdum sit, parcamus quoque linguæ Hebrææ porrò inclementer dicere, & infra alias eam linguas collocare, ex quâ & ipsa exempla afferre facilè esset, si necesse sit, & non res è dictis de se jam satis pateat.

### XXXXVI

Sed tamen gratificemur Huntlæo hanc operam, & ne quis quod erat officium suscepti hujus muneris minus compleffe nos existimet, in hac etiam parte faciliiores simus, ac legamus quædam ex magna copia hucque referamus, unde Jesuita porrò causa cadat, & manifestæ vel injuriæ, vel inscitæ, vel impudentiæ, si amplius protervè atque tenaciter sententiæ inhæreat, teneatur.

XLVII. At-

XLVII.

Atque verò ellipticum loquendi genus hebræis non unum est. Interdum enim nominativum verbi præcedentis omittunt ut *קָשׁוּ* osculetur me osculo oris sui. Nimirum sponsus meus jucundissimus Christus Jesus, quem non nominat sponsa, quod omnibus notum putaret. Interdum, accusativum verbi sequentis: ut, & venerunt ad arcam Nachomis *אֶת־אֲרֹן־נַחֲוִישׁ* & extendit Usa ad arcam Dei, scilicet, manum suam, ut complete in Exodo cap. 9. v. 15 legitur. Interdum quodcunque nomen aliud, ut *לֵב־חַיִּים* hac est mihi. Intellige, consolatio: vel, ut supplevit Lutherus, hic est thesaurus meus, quod præcepta tua custodio.

*Cant. I. V. 1.*

*2 Sam. 6. 6.*

*Psal. 119. 56.*

XXXVIII.

Deinde: deest & verbum quandoque ac participium: ut in eo: *וְהָיָה* hostis, & in circuitu terræ. Quod integrè est, hostis veniet, atque in circuitu terræ castra ponet. Ita enim habent quæ sequuntur: Detrahet à te fortitudinem tuam & diripientur palatia tua. Et, in hoc: & dominabitur in Jacob. nempe, ex Jacob natus.

*Am. 3. II.*

XLIX.

Porro: Quandoque in eodem orationis membro verba quædam subintelligenda sunt, quod in secundo Regum videre est, ubi Dominus dicit: Verba quæ audisti: quia autem emollitum est cor tuum &c. Quod sic explendum est. Verba quæ audisti, eventura quidem erant, sed quia emollitum est cor tuum, nunc quidem venia tibi erit. Quandoque vox omissa ex voce conjugatâ eruenda, quomodo in eo Mosis usu venit, cum ait: non possum ego solus ferre totius populi hujus; quæ

*2 Reg. 22. 18.*

*Num. II. 14.*



Deut. 1. 27.

quidnam verò : נשנ onus : quod in verbo נשנ jam ante latebat, à quo etiam descendit. Quandoque casus verbi nomini tribuitur, quo loquendi genere ellipsis pronominis נשנ & verbi conjugati inducitur. Verbi causa: יהוה נשנ ירהוה נשנ propter odium Domini, nos, pro: propter odium Domini נשנ אשר נשנ quo odit nos. Sunt & alij complures ellipseω modi, qui alibi videnti. Nam nobis plenam de iis commentationem instituire hoc loco propositum non est.

Ez 33. 11.

Dan. 10. 9.

Cant. 1. 8.  
c. 2. 13.

L.  
Tandem pleonastica sunt ista שובו שובו revertimini revertimini à viis vestris malis. Quà continuâ verbi repetitione vehementia quædam, ac fervor exhortationis divinæ ad poenitentiam indicatur. Quomodo & in hoc: חזקו חזקו confirmare & confirmare, quod est, animum ac vires sume, etiam atque etiam confirmare, ne confringaris, neve terrearis. Notus quoque ac pervulgatus in hac lingua pronominum pleonasmus est, ut cum ajunt: si nescis לך tibi: & exi, לך tibi: surge לך tibi: abi לך tibi. Quæ omnia tantum abest, ut incertam hanc linguam ambigamque efficiant, ut potius exornent eam ac mirificè condecorent. Atque, ut meus est animus, non leviter hinc sibi timuisse Huntlæus videtur, qui sic omnibus prorsus exemplis abstinuit, cum supra in ijs, quæ vim quidem nullam, speciem tamen aliquam veri tenere putabantur, contra fecerit.

LI.

Quare sit jam hujus disputationis modus, postquam, bono cum Deo, quod nobis propositum fuit, demonstravimus, octo causis suis non vicisse Huntlæum, quod erat in medio positum; atque ambiguitatis



tatis postulasse eum quidem hanc linguam, at ejus e-  
am damnare minimè omnium potuisse. Impleat  
nos Deus amore hujus linguæ sanctæ, in quâ primum  
suæ nobis voluntatis exemplar ipse expressit, ut quæ  
ad ornandam eam facere singula possunt, suo quisq;  
loco & cogitemus semper, & sedulo cure-  
mus, per Christum Dominum no-  
strum Amen

## COROLLARIA.

1.

An in voce מנחה, litera ם sit servilis? N.

2.

An vox כארי Psalm 22. v. 17. à Judæis sit cor-  
rupta? N.

3.

An שמים sit vox composita ex שמי & מים  
aqua? N.

4.

An bona grammaticorum distinctio, qua  
dicunt alias breves, alias longas, alias  
semibreves? N.

5.

An gen. 3. legendum sit הויה ipsa? N.

בילא:

In nomine domini Amen  
Anno domini MDCCLXXII  
Die XXII Junii  
In loco ecclesie  
Sunt per Christum Dominum no-  
strum Amen.

# COROLLARIA

An in voce sua, nec in se scribitur M.

An vox sua etiam in se scribitur M.  
supra

An vox sua etiam in se scribitur M.  
supra

An vox sua etiam in se scribitur M.  
supra

An vox sua etiam in se scribitur M.  
supra




05 A 278

ULB Halle

3

004 210 468



WONA





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



...E VERTAT!  
*icum Questionis*  
 æ Hebrææ  
 guitate  
 GORDONO  
 E O JESUITÆ  
 situm  
 T  
*ergensium Academiã,*  
 ILOSOPHICI  
 ritate  
 LOCO  
 evolè sibi concessio,  
 andum propositum  
 ER  
 REINECCIUM  
 ult. Philo (Adjunctum:  
 DENTE  
 ru Lips. S S. Th. Stud.  
 d. 29. Martii boris à septima 21  
 cinis  
 BERGÆ,  
 OSII ROTH, Acad. Typogr.  
 MDC XXXV.

